

339

337

343

(125 A) Sepulchrum dominicum descripturus, quamvis  
non sit res magnae importantiae, difficultatem tamen non  
parvam patior in ea re, et hoc propter diversitates, quae de  
hoc reperiuntur in libellis peregrinorum. Et etiam propter  
hoc libenter ejus dispositionem fratribus meis tradere vellem  
adeo clare in scriptis, sicut ego vidi oculis. Quod est impos-  
sibile, cum necesse sit, me plus vel minus scribere de hoc,  
quam viderim. Principaliter tamen de hoc tria dicenda.

333

348

328

388

I. Quale fuerit dominicum sepulchrum tempore, quo in eo  
fuit corpus Domini locatum.

288

II. Quale illud sit, quod modo stat, quod visitavimus et  
honoravimus.

III. An illud sepulchrum sit idem, in quod Dominus Jesus  
fuit positus. Et in illo articulo stat tota difficultas.

438

Quoad primum, sciendum, quod facile est dare intelligere,  
quale fuerit dominicum sepulchrum tempore mortis Christi.  
Nec patitur difficultatem in eo, qui antiquas sepulturas illarum  
terrarum vidit, quamvis ex dictis sanctorum Evangelistarum  
non possit id clare haberi, quia succincte et breviter de hoc  
loquuntur. Matthaeus dicit cap. 27.: et accepto corpore Jo-  
seph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in mo-  
numento suo novo, quod exciderat in petra, et advolvit  
saxum magnum ad ostium monumenti. Marcus vero cap. XV.  
dicit: Joseph mercatus sindonem et deponens eum involvit  
sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum in  
petra, et ad volvit lapidem ad ostium monumenti. Et cap.  
XVI. dicit de lapide advoluto: erat quippe magnus valde;  
et introeuntes in monumentum viderunt juvenem etc. Lucas  
autem cap. XXIII. dicit: Joseph petiit corpus Jesu, et depo-  
situm involvit in sindone, et posuit eum in monumento exciso,  
in quo nondum quisquam positus fuerat. Et cap. XXIV. dicit:  
mulieres invenerunt lapidem revolutum a monumento, et in-  
gressae non invenerunt corpus Domini Jesu. Et in eodem  
capite: Petrus surgens cucurrit ad monumentum, et procum-  
bens vedit linteamina, posita solo. Johannes plus dicit, quam  
alii. In cap. XIX. dicit: erant autem in loco, ubi crucifixus  
est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum  
quisquam positus fuerat, ibi ergo propter Parascevem Judaeorum,

238

Ende

Anfang

